



Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Complectens Constitutiones Clementis XII. ab Anno I. usque ad IV.

Luxemburgi, 1740

CVII. Confirmatur, & extenditur Breve Gregorii XV. super jurisdictione
Regiminis Bononien. super Universitatibus Artium ejusdem Civitatis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74733](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74733)

Sedis Apostolica Nuncios, sublata eis & eorum cuiuslibet quavis aliter iudicandi, definiendi & interpretandi facultate & auctoritate, iudicari, defini, & interpretari debere: & quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum & inane decernimus.

Obstantium derogatio.

§. 4. Non obstantibus, quatenus opus sit, una de non concedendis gratis ad instar; & altera, Nostris & Cancellariæ Apostolicæ Regulis de iure quaesito non tollendo: ac etiam in Synodalibus, Provincialibus, Generalibus, Universalibusque Conciliis, editis vel edendis, specialibus vel generalibus Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis, privilegiis quoque, indultis & literis Apostolicis quibusvis personis, aliis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus & singulis, etiam si de illis earumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales, mentio seu quavis alia expressio habenda foret, earum tenore eisdem præsentibus etiam pro plene & sufficienter expressis habentes, illis aliis in suo robore permanentibus, latissime & plenissime, ac specialiter & expresse, motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus, derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis ubique fides adhibeatur.

§. 5. Volumus autem, ut ipsarum præsentium transumptis, etiam impressis, alicuius in Dignitate Ecclesiastica constituta personæ sigillo, & Notarii manu obfirmatis, vel etiam, saltem extra Italiam, sigillo & subscriptione Magistri Ordinis, aut Provincialium eiusdem Ordinis pro tempore munitis, eadem prorsus fides in iudicio & extra illud adhibeatur, quæ adhiberetur præsentibus, si forent exhibitæ vel ostensæ.

Nemo has literas infringere audeat.

§. 6. Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc paginam nostræ concessionis, extensionis, prorogationis, voluntatis, decreti, & derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire; Si quis autem hoc attentare præsumperit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius se noverit in usurum.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo trigesimo tertio, quinto Kalendas Septembris, Pontificatus Nostri Anno quarto.

A. Card. Pro Dataribus.

F. Card. Oliverius.

VISA

De Curia I. Archiep. Ancyranus.

Loco ✕ Plumbi.

D. Stivanus.

Registrata in Secretaria Brevium.

CVII.

Confirmatur, & extenditur Breve Gregorii XV. super Jurisdictione Regiminis Bononien. super Universitatibus Artium eiusdem Civitatis.

CLEMENS PAPA XII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Dat. die 11. Sept. 1733. Pont. An. IV.

Exordium.

Paterna, quam de nostris, & S. R. E. etiam quoad temporalia, subditis, gerimus, cura Nos urget atque impellit, ut, eorum utilitati iugi vigilantia studentes ea, quæ a Romanis Pontificibus Prædecessoribus Nostris pro felici prosperoque artium Status nostri Ecclesiastici directione provide constituta atque ordinata esse noscuntur, quo firma semper & inviolabilia persistant, Apostolici

muniminis nostri præsidio libenter constabiliamus, aliasque sollicitudinis nostræ partes desuper interponamus, sicuti salubriter expedire in Domino arbitramur.

§. 1. Dudum fœnidem emanarunt a se. re. Gregorio PP. XV. Prædecessore Nostro circa Societates, sive Collegia, & Universitates Artium Civitatis nostræ, tunc suæ, Bononien. literæ in simili forma Brevis tenoris, qui sequitur, videlicet:

GREGORIUS PP. XV.

Ad futuram rei memoriam.

Cum in Civitate nostra Bononien. ad Vexilliferum iustitiæ una cum Senatu spectet & pertineat, statuta ac provisiones & ordinationes Societatum sive Collegiorum Universitatum Artium civitatis Bononiæ admittere, reformare, & corrigere cum participatione pro tempore existentis in dicta Civitate Sedis Apostolicæ de Latere Legati, seu ejus Vicelegati, vel Gubernatoris, pro bono pacis & quietis hominum prædictarum Societatum, & prout temporum & personarum qualitas & natura exiget, Motu proprio, & ex certa scientia ac matura deliberatione nostris, eundem Vexilliferum, utpote de omnibus gubernium & administrationem ipsarum Societatum concernentibus plene informatum, & tamquam eorum Judicem ordinarium, juxta solitum omnes & quascumque causas, lites, & differentias, ac querelas inter Societatum & Artium prædictarum homines, aut Officiales vel Subditos, aut etiam inter ipsas Societates & Artes, quandocumque & ex quacumque causa earundem Societatum occasione nascituræ, pro sublevandis ipsis Societatibus & earum hominibus a molestiis ac dispendiis Sententiarum, Procuratorum, & Scripturarum expensis, cognoscere, decidere, ac summarie simpliciter, ac sola facti veritate inspecta terminare: aliosque iudicantes in Civitate Bononiæ, quacumque præfulgeant dignitate ac facultate ordinaria vel delegata, nullo modo & prætextu contraventionis statutorum, vel provisionum, vel exemptionis penarum propterea incurrarum, in causis prædictis se intrinittere posse: & quidquid per eundem Vexilliferum cum auctoritate Superiorum prædictorum pro tempore, decretum, statutum, & ordinatum, ac reformatum fuerit circa prædictas Societates Artium, sive aliquam earum, regimen & gubernium etiam uniendo, & dissolvendo, transferendo, aut quovis alio modo disponendo, perpetuo valere, & validitatem obnitere: necid aliquo modo infringi posse etiam per viam appellationis seu alterius cujusvis reclamationis & recursus: quodque non possit etiam impediri sub quovis prætextu appellationis, seu alterius cujusvis reclamationis, & recursus aut melioris revisionis vigore quarumcumque inhibitionum, a quocumque Tribunali, etiam Urbis, emanatarum ad id, quod sic fuerit ordinatum & decretum, sed statim executioni demandari debeat, sicque per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, sublata eis & eorum cuiuslibet quavis aliter iudicandi & interpretandi facultate & auctoritate iudicari & defini debere; ac irritum & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, Apostolica auctoritate tenore præsentium decernimus & declaramus; Uteriusque inhibemus, etiam sub penis & censuris in privilegiis dictis Artibus respective concessis, eo ipso in casu contraventionis incurrendis, ne posthac aliquis quavis præfulgeat Dignitate, sive Vexillifer sit, sive ipsemet Gubernator, vel etiam Legatus, aut Prælegatus, aut quisvis alius, audeat,

Literæ Gregorii XV.

Ius cognoscendi causas ad Officiales Universitatum spectantes Vexillifero Civitatis asserunt.

1733.
Privilegia
hominibus
Artium con-
cessa.

nec possit præcipere, vel præcipiendo directe vel indirecte, vi vel metu, aut jussionibus cogere aut arcere homines cujusvis dictarum Artium, vel eorum Notarios, ad cassandum de eorum Matriculis, vel ad dendum aut acceptandum in eorum Societates aliquam, vel alio quovis modo eorum privilegia & statuta infringere; sed ad ipsos homines, servata tamen forma eorum statutorum, spectare, liberamque remanere electionem, admissionem, vel repudiationem aggregandi, & observantiam eorum statutorum & privilegiorum in omnibus: salvo tamen decreto Senatus in suo robore circa spontaneas cessiones vel renunciaciones: & salvo eo, quod per dictum Senatum una cum Superiore, ut supra, in dies statueretur, & nihilominus omnia, præter vel contra prædicta gesta vel gerenda, vitio nullitatis ipso jure subjacere, auctoritate & tenore prædictis similiter decernimus. Non obstantibus Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 14. Junii 1621. Pontificatus Nostri Anno Primo.

Causa peten-
dæ harum li-
terarum con-
firmationis.

§. 2. Cum autem, sicut accepimus, dilecti filii Senatores, pro sublevatione Artium hujusmodi ab ipsis Vexillifero & Senatu deputati eorumdem Artium, quas in dies imminui ægreferunt, instaurationi ac progressibus omni cura ac studio incumbentes inter alia novissime instituerint in dicta Civitate Artem Telariam, vulgariter de *Tovagliari* nuncupatam, per quam cum assentia unius Societatis seu Universitatis per deputatos prædictos jam stabilitæ, illuc introducantur officium diversi generis telarum, quæ a regionibus exteris importabantur, sicque pecuniæ, quæ ex ditione Bononiæ ad ejusmodi telas comparandas extrahi consueverant, in ea deinceps remaneant, ac inter artifices dividantur; Et insuper Cannabis, qua ditio præfata abundat, facilius venum ear: nunc vero idem Deputati hujus Artis institutionem Nobis probatam fuisse intelligentes, animum intendant diversis adhibendis remediis adversus multiplices abusus, quos in aliis Artibus dictæ Civitatis irreptisse compererunt, quibus e medio sublatis, futurum sperant, ut illæ quoque aliquando restituantur, ac in publicum bonum & commodum denuo florescant; sed vereantur, ne pro parte Artes præfatas in dicta Civitate ejusque Comitatu exercentium, aut aliàs interesse in iis habentium, executio resolutionum, quæ ad id capiendæ venient, impediatur aut retardetur per inhibitiones, quas sub obtentu privilegiorum sibi a Sede Apostolica concessorum, suorumve statutorum, auctoritate Apostolica confirmatorum, usum, ac consuetudinum, litis pendentis, aut alio titulo a Judicibus & Tribunalibus etiam Urbis, vel per recursum ad Nos & Romanum Pontificem pro tempore existentem procurare & impetrare possent, ac propterea tam Deputati quam Vexillifer & Senatus prædicti opportune in præmissis a Nobis providendi summopere desiderent; Nos eorumdem Deputatorum, Vexilliferi, & Senatus votis hac in re, quantum cum Domino possimus, favorabiliter annuere volentes, illorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, a jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes & absolutas fore censentes, similiter Motu proprio, ac ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, præinsertas Gregorii prædecessoris literas cum omnibus & singulis in eis contentis harum serie confirma-

Quæ benigne indulgetur.

mus & approbamus, ac, quatenus opus sit, innovamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus. Præterea (firma remanente jurisdictione dicto Vexillifero, sicut præmittitur, attributa) easdem Gregorii Prædecessoris literas, & in eis contenta ampliantes, Motu, scientia, deliberatione, ac potestatis plenitudine paribus, tenore præsentium statuimus, quod quicquid per ipsos Vexilliferum & Senatum, aut ab eis deputatum, coram, & approbante suprascripto Legato seu Vicelegato circa dictas Societates ac Universitates, sive Collegia Artium earumve Regimen & Gubernium pro tempore decretum ordinatum & reformatum fuerit, statim executioni demandetur, quin executio hujusmodi per quancumque inhibitionem cujusvis Judicis & Tribunalis, etiam Urbis præfata, quolibet titulo, causa, capite, colore, vel prætextu, etiam dictorum privilegiorum, statutorum, usum, consuetudinum, ac litis pendentis, subnixam ac concessam, neque etiam per recursum ad Nos, seu Romanum Pontificem pro tempore existentem, immediate habitum, nisi talis recursum fuerit admissus per specialem Commissionem propria manu nostra, seu ejusdem Pontificis signatam, ullatenus impediatur aut retardari valeat.

Decretum, quod facienda per eundem Vexilliferum reformationes a nemine impedire possint.

§. 3. Decernentes, ipsas præsentis literas, etiam ex eo, quod prædicti, & alii quilibet in præmissis jus seu interesse habentes, vel habere quomodolibet prætendentes, illis non consentiant, nec ad ea vocati, citati, & auditi fuerint; seu de subreptionis vel obreptionis vitio, seu intentionis nostræ, sive alio quocumque defectu notari, argui, vel impugnari nullo modo ac tempore posse; sed easdem præsentis literas semper & perpetuo firmas, validas, & efficaces existere & fore; suosque plenarios & integros effectus sortiri & obtinere; ac illis, ad quos spectat & pro tempore quocumque spectabit, in omnibus & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective exacte ac inconcusse observari; sicque, & non aliter, in præmissis per quoscumque Judices ordinarios & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, & ejusdem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, etiam de Latere Legatos, eorumque Vicelegatos, & alios quoslibet quacumque præeminentia & potestate fungentes & fungendos, sublata eis & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate & auctoritate, judicari & definiti debere; ac irritum & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Harum Literarum observantia.

§. 4. Non obstantibus præmissis, ac, quatenus opus sit, Nostra & Cancellariæ Apostolicæ Regula de jure quasito non tollendo, aliisque Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis, necnon Civitatis, Comitatus, Societatum, Collegiorum, ac Universitatum hujusmodi, aliisque quibusvis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, stabilimentis, stylis, usibus, privilegiis quoque, indulcis, & literis Apostolicis, sub quibuscumque verborum tenoribus & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, & decretis, in genere vel in specie, aut aliàs in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis.

Clausulæ derogatoriæ.

§. 5. Quibus omnibus & singulis, etiam si pro illorum sufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quavis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium & singulorum tenores

præ-

præsentibus pro plene & sufficienter expressis, ac ad verbum infertis habentes, illis aliàs in suo robore permanferis, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter & expresse derogamus, ac derogatum esse volumus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majoram sub Annulo Piscatoris die 11. Septembris 1733. Pontificatus Nostri Anno Quarto.

F. Cardinalis Oliverius.

CVIII. Fratribus Ordinis Eremitarum Sancti Augustini interdicitur appellatio a Correctione Regulari; inuncto insuper, ut in casu appellationis, id tantummodo facere debeant gradatim ad Ordinis Superiores.

C L E M E N S P A P A X I I .

Ad futuram rei memoriam.

Dat. die 15.
Sept. 1733.
Font. An. IV.

Prooemium.

EX inuncto Nobis Apostolicæ servitutis munere ad ea peculiare sollicitudinis nostræ curas libenter intendimus, quæ felici Christi-fidelium Divini Numinis obsequiis sub suavi Religionis jugo mancipatorum regimini atque tranquillitati conducibilia fore, in Domino arbitramur.

Petitio quibus innixa
fundamentis.

§. 1. Exponi siquidem Nobis nuper fecit dilectus filius Nicolaus Antonius Schiaffinati Prior Generalis Ordinis Fratrum Eremitarum Sancti Augustini, quod licet per Constitutiones ejusdem Ordinis *Part. III. Cap. XVI. num. XXIV.* appellatio a Correctione Regulari Superiorum Fratrum prædictis sub diversis penis prohibeatur: necnon generali decreto, dudum a Congregatione tum existentium Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, negotiis & consultationibus Regularium præposita, jussu sel. rec. Sixti PP. V. Prædecessoris Nostri edito, caveatur expresse, quod Regulares cujusvis Ordinis in casibus, in quibus appellare de jure licet, id facere debeant gradatim ad sui Ordinis Superiores, a Priore nimirum ad Provinciale, & a Provinciali ad Generalem, antequam Sedem Apostolicam adire possint; nihilominus ipse Nicolaus Antonius non sine animi sui mæore advertit, plures Religiosos supradicti Ordinis, Constitutionum ac Decreti hujusmodi memores, illave exolera & antiquata esse credentes, tum a præfata Correctione Regulari Superiorum provocare, tum ubi appellatio permittitur, nusquam observata forma sic præscripta, ad Superiores mediatos, sive Prælatos majores Ordinis prædicti, ac etiam hanc Sanctam Sedem appellare & recurrere; unde regularis disciplinæ detrimentum, immediatorum Superiorum, eorumque jurisdictionis contemptus, ac non raro impunitas delinquentium, aliæque multiplicia incommoda consequuntur, necnon Al-mæ Urbis Tribunalia non levibus afficiuntur molestiis.

§. 2. Quamobrem idem Nicolaus Antonius, qui in ipso Gubernii sui primordio sibi omni ratione adnitendum proposuit, ut debita Subditorum erga Prælatos obedientia, exactaque Regularis observantia in dicto Ordine conferrentur: & sicubi exciderint, restituantur; oportunitatem gliscenti malo, & abusu ejusmodi remedium adhiberi, & aliàs in præmissis salubriter a Nobis provideri summopere desiderat. Nos ipsius Nicolai Antonii votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliis

que ecclesiasticis sententiis, censuris, & penis, a jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus, ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis, inclinatis, omnibus & singulis dicti Ordinis Fratribus ac personis cujusvis dignitatis, gradus, & conditionis existentibus, appellationem a Correctione regulari suorum Superiorum ad formam enarratarum Constitutionum, ac sub penis in eis contentis, auctoritate Apostolica tenore præsentium interdiximus. In casibus vero, in quibus iisdem Fratribus de jure vel juxta Constitutiones prædictas appellare aut recurrere licet, id non aliter deinceps fieri posse statuimus, quam gradatim, a gravamine scilicet Prioris ad Provinciale, & a Provinciali ad Generalem; itaut causæ appellationis seu recursus hujusmodi, antequam ab eodem Priore Generali cognita & definita fuerint, extra dictum Ordinem deferri & agitari nequeant: Ac propterea omnibus Romanæ Curie Tribunalibus ac Judicibus, & quibusvis etiam Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. præfata Cardinalium Congregationibus, necnon Sedis Apostolicæ Nunciis, nunc & pro tempore existentibus, ne Fratrum dicti Ordinis appellationem seu recursum admittant, causasque prædictas cognoscant, nisi prius eis legitime consiterit, illas per dictos Superiores, memorato ordine servato, cognitæ & definitæ fuisse, sub pena nullitatis actorum, ac inde sequutorum, & quoad Religiosos appellantes vel recurrentes, qui præmissis contraverint, sub gravibus Nostro & Romani Pontificis pro tempore existentis arbitrio infligendis penis, eadem auctoritate harum serie prohibemus.

§. 3. Decernentes, ipsas præsentis literas semper firmas, validas, & efficaces existere & fore, suosque plenarios & integros effectus sortiri & obtinere; & ab illis, ad quos spectat, & pro tempore quodcumque spectabit, inviolabiliter observari, & iis respectivo plenissime suffragari; sicque & non aliter in præmissis per quoscumque Judices ordinarios & delegatos, etiam Caesarum Palatii Apostolici Auditores, judicari & definiti debere; ac irritum & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

§. 4. Non obstantibus Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis, ac Ordinis præfati; aliisque quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum infertis habentes, illis aliàs in suo robore permanferis, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 5. Volumus autem, ut earundem præsentium transumptis seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Personæ in Ecclesiastica Dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides in judicio & extra adhibeatur, quæ præsentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitæ vel offensæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majoram, sub Annulo Piscatoris die 15. Septembris 1733. Pontificatus Nostri Anno Quarto,

F. Card. Oliverius.

Decretum
de quo in Ru-
brica.

Clausula.